

C.

Anno 1364—1391.

Superius Privilegium, Regno Croatiae a Ludovico Rege anno 1359 datum, a. 1364 confirmatur, atque a Capitulo Časmensi a. 1391 transsumitur.

Nos Capitulum Ecclesie Zagrabiensis memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit universis: quod anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, feria sexta proxima post festum omnium Sanctorum proxime preteritum, Paulus filius Andree de Bliznafsfeu ad nostram personaliter veniendo presentiam, exhibuit et presentavit nobis quasdam litteras privilegiales Serenissimi Principis Domini Domini Lodovici olim Regis Hungarie felicis et excellentis memorie, duobus Sigillis suis, videlicet antiquo in Boznia deperdito, et nouo post hoc reparato, in pendenti veris et authenticis ipsius Sigillis sigillatas, in tenoreque earundem nec ubique vitiatas, tenoris infrascripti, cum illa clausula: ad perpetuam rei memoriam etc. petens nos cum instantia, ut ipsas litteras de verbo ad verbum transscribi faceremus et ad testimonium et fidem firmissimam, quoad tenorem earundem, Sigillo nostro consignaremus. Cujus nos petitionibus, utpote justis et juri consonis annuentes, preallegatas litteras nobis presentatas veras approbantes, easdem de verbo ad verbum transscribi fecimus, et sigilli nostri authentici communiri, in fidem et testimonium omnium infrascriptorum. Quarum quidem litterarum privilegialium tenor sequitur, et est talis: Lodovicus Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus, et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris presentium notiam habituris salutem in omnium Salvatore. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos de statu tranquilliori fidelium nostrorum nobilium videlicet et aliorum quorumlibet hominum in regno nostro Slavonie existentium providentes, huiusmodi gratiam eisdem duximus concedendam seu faciendam, ut nullus omnino hominum ipsos in Curiam nostram, vel in aliquorum alium Judicum extraneorum, ex ista parte fluvii Drave existentium, presentiam citare valeat, aut alicubi res et bona eorundem prohibere, sed si qui cum eisdem regni Slavonie hominibus quicquam habet actionis, in presentia Bani ipsius regni Slavonie, vel vices eius gerentis, legitime exequatur; et si in Judicio ipsius Bani, vel vices eius gerentis aliquis querulantium suspicatus fuerit, nec contentus esse voluerit, extunc seriem Judicii per ipsum Banum, vel vices eius gerentem facti, in nostram et Prelatorum ac Baronum nostrorum presentiam, in Curiam nostram transducere valeat atque possit pro deliberatione fienda super Judicio prenotato. In cuius rei me-